

DE
ELIGENDO
REGE POLONIÆ NOVO
DOBIE: CIEKLIN: *S. R. M. Secret.*
DIVINATIO
PRO INTERREGNO.

Anni 1632. ✓

Vtilissimus ac breuissimus bona-
rum malarumque rerum delectus
est, cogitare quid aut nolueris sub
alio Principe aut volueris. *Tacitus.*

E. XIV 28/80



DE
ELIGENDO REGE POLONIÆ
NOVO
DIVINATIONO.

P Rincipum Regumq; intra
quorum familiam, siue
virtus maiorum, siue po-
pulorum patientia, inclu-
sit sceptrum, quandocunq;
supremum diem expleuê-
re, de successore ambige-
re, aut secunda aduersaue eius, in futurum
pro imperio conquirere tradereq; vt frustra,
neq; sæpe fas, ita vix cuiquam in vsu fuit. Quò
potissima fascesq; eòdem cætera pariter, &
studia mortalium, & consultorum prudentia
vertitur. cui tunc istatùm relictus locus, qua-
licunq; annuere, quem priusquam lucem aspe-
xit, scit destinatum esse, vt imperet. Neq; mi-
nus

De eligendo Rege Polonie

nus quemcunque obstrictum tenet in principe
maiestas, ad magna arcana vimq; dominandi
efficax, nedum ad id, quod ex eâ improbi ma-
xime sibi profuturum credunt, vt de ipsis filea-
tur. Ita paulatim ingeniorum iuxta & Princi-
pum industria languescit, donec sublatâ vtrin-
que æmulatione & gloriâ, postmodum ab aliis
nulla fiat meritorum æstimatio, aliis nulla quo-
que cura. Nostra gens sui ipsâ potens, regnum
suum nulli hætenus domui donum fecit. Fi-
nitâ Regis vnus vitâ & imperio, alterum eli-
git consensus & libertas. Egregiè in hac pro-
pè solâ tuendâ concors, eam maxima in cura
metuque habet. Vidimus nouissimis tempori-
bus Comitibusque, à nobilitate summâ pro ipsa
ope laboratum fuisse, vtq; diplomate reuocare-
tur renouareturve, quæ olim & semper penes
se fuit, liberæ Electionis potestas, tantò inten-
tius à Rege, quâto senectâ supremis magis pro-
pinquabat, flagitatum appropriatumque. Siue
gratior nulla res libertate exigere relinquiue pos-
sit, siue rei id magnitudo & vtilitas postulabat,
ad om-

ad omnes ex imminente morte euentus casus-
 que. Quippe maxima quæque, tantò magis am-
 bigua sunt & suspecta, quantò crebrius plures-
 que suas, quàm Reipub. partes tuentur, varieq;
 imperantibus obnoxij, ijs quod volunt, in se si-
 mul & publicum permittunt. Aduersus quæ,
 manet testimonium probatæ consciëntiæ Prin-
 cipis, sanctioq; in publicas leges ac tabulas illa-
 ta, integrum eligendi arbitrium, ac veterem
 libertatem gentis complexa. Ex quâ, & Ciues
 constantiæ ac fidei, nec minorem Rex æquita-
 tis & moderationis famam retulit, nimis etiã
 studiis suspicionibusve minimè succensus. Ne-
 que enim hic dominatium libidini omnia per-
 missa, sed quæ rarissima est apud quamcunque
 gentem securitas, palam & sentire quæ velis,
 & quæ sentias promouere licet. Sicut nihil do-
 mi, nihil foris geri, sine omnium approbatione
 potest, ita pro imperio, optimum quemque ele-
 ctio quærit. Neque alia in re diligentius causæ
 & merita æstimantur, hocque, vt in regnum,
 tanquam in præmium, boni tantum adsciscan-
 tur.

De eligendo Rege Poloniae.

tur. Vnde pleraque alia, nuntiis & senatui committimus, hoc vnum Regemq; nobis seruamus, sincerius omnes de eo deliberaturi, penes quē omnium nostrum est salus & fortuna. Etenim vocibus ac sententiis nostris, haëtenus tantū licet, vt eligi possit, quisquis semel placuit semper est tenendus. Septimus nunc mensis est, ex quo Interregnum, siue cum orbitate deplorandum semper illud, siue minimè metuendum erit, fatalis post Regem nobis necessitas fecit. Locus hic campusq; , hęc dies finiēdo dicta est. Nemo magnā mediocriq; sapientiā eximitur, quod optimum putat vt dicat. Igitur sicut egregia dignaq; imperio, claritudinem, virtutes, affectatium aut maiorum benefacta, studia pro quocunq; populi contendere, promptum & cuiq; liberum est, ita eius quem expectas naturam & ingenium noscere, vt maxime vtile, ita ex omnibus necessarium est. Quippe modicæ adhuc res, animum plerumque in potestate cohibent, nihil ipsum adeò, quàm subita & magna felicitas explorat. Scimus multos
non

non iisdem artibus gessisse imperium ac peti-
 tisse, primum supplices, industrios, modicos,
 postquā quod appetiuere adepti fuerunt, quasi
 pigeret virtutum, quod per ambitionem simu-
 lauere id postea adeptos exuisse. Iam verò pau-
 ei, prudentiā, honesta à deterioribus, vtilia à
 noxijs discernunt, & inter studia odiave dissi-
 dentium, quid ipse probes, vix liquet. Quod si
 verum facile prouideri posset, æquabilius ali-
 quantum & constantius se imperia haberent,
 neque in illis aliud aliò ferri & misceri videre-
 mus. Hanc ego nunc causam maximam puta-
 ui sumpsique, quam maxima & varia iudicia
 circumstāt, & in quā hoc magis fortasse sumus
 diuersi, quantò plures; procul amore, procul
 odio, assuetus libertatem cum omnibus, non
 cum paucis gratiam sequi, in publico causam
 publicam, non priuatum commodum anteha-
 bere. Atque cum diligentius humana in-
 genia confidero, illa velut præsentium tantum
 capacia, & intra suorum temporum morumq;
 septa clausa, vix vltèriùs efferri deprehendo.

Neque

De eligendo Rege Poloniae

Neque hoc in disciplinarum modò, aut virtutum contemplatione verum est, quarum studium, raro extra illa, quæ repens æuum præbuit, ac velut ad imitandum circumdedit processit: sed etiam in morum emendatione, in quibus, tametsi nemo non probat optima, eam tamen in illis diligentiam alterius admittit, quæ nouissimis temporibus velut ex propinquò respondet. Siue proximiora, tantò promptius quisque amplectitur, quantò recenti aspectu vel memoriâ, illa sibi faciliora credit probatve: siue in tantum studio & æmulatione connitimur, in quantum alios antecedere videmus, eos contenti assequi tantum non transire. adeò cuncta perinde ab hominibus æstimantur, atque tunc facile gignuntur, quòq; longius ab obuiarum similitudine remouentur, hoc magis prisca & desita, sapientum esse creduntur vota tantum & placita. Mihi, postquam in hæc ipsa, nos quoq; publicè iam transire contigit, siue illa mutari corrigiq;, siue non amplius possunt, in iis consistere est animus, sinceriori iudicio

&

Diuinitio.

& coniecturâ , in accipiendo pro regno nouo
fuccessore, quæq; ab eo obtineri possint, ex prio-
ribus temporibus, quæ vidimus & Rege. Nani
nemo non hac in re inuentioni suæ fauet, atq;
dum alius alio modo, & quisque suo ingenio
Regem esse cupit, optimum tunc maximè cre-
dit, cuius habendi copia neq; priscis sæculis af-
fuerat, & nimia ab eo poscendo, facit, vt eorum
vix aliqua pars sequatur. Quanquam & hoc
compertum est, plerumq; sua peccata subditos
Regibus assignare, atque sicut illis solenne est,
delictorum inuidiam in superiores dirigere,
ita eandem à se propulsare, optimi ambitu &
inani prudētiâ. Hinc, quod in mores ferri de-
buit, in Reges ius dicitur, & in corruptissimâ
Republicâ, plurimæ fiunt tantum in Principē
leges. Verum malignitatem facile postea ad-
uerferis: quippe viuos tantum inuidia fatigat,
postquam anima naturæ cessit, demptis obtre-
ctatoribus, ipsa se virtus magis magisq; extol-
lit. Igitur sicut vera aut in deterius credita,
post fata agnoscuntur, ita bonarum malarumq;
B
rerum

De eligendo Rege Polonia

rerum facilis tunc est delectus, cogitare tātum,
quid aut volueris in priori Principe aut nolue-
ris. Equidem huic rei, aut nemo ex se v-
nus, aut SIGISMVNDVS TERTIVS materiā prae-
buerit, quadraginta & quinq; annos apud nos
in imperio, totidem & sexaginta vitæ, vtrum-
que amplissimum numerum, amplissimis factis
emensus, vt nescias, rebus gestis, vtrum magis
ætatem suam, an fidem hominum superauerit.
Nam in aliorum factis prope sæcula, in huius
vix anni numerantur. Moschouia, quam quæ-
rere inter niues & glacies, inter noctes & vasti-
tates, penetrare ad solis propè metas & terra-
rum extremos terminos oportuit, maximis &
potentissimis Ducibus in eâ captis, omni gaza,
suppellectili, auro argentoque direpto, tota, in-
tra duorum annorum spatium, in possessionem
eius venit. Magni terroris bellum Turcicum,
quotidiano auctu immensi exercitus, alijs quo-
que gentibus, nisi in nos incidisset, horribile,
adeò mirâ celeritate, & virtute intra tres men-
ses ab eo compressum est, vt ante nos vicisse
quàm

quàm bellauisse cognosceremus, Osmanus Imperator plus periculi sibi imminere, quàm nobis statuerat inferre, deprehenderet. Iam qui in Moschouia, idem in Liuonia respondit successus: vno propè cum Moschouia impetu capta est, tot cum eà vrbes, arces, receptæ & subiugatæ, continuataq; victoria alterius nos metu, alterius exoluit contumelijs. Nemo deinde hostis fuit, quem gloriæ suæ non addidisset, Moschos, Turcas, Tartaros, Valachos, Transylvanos, & quoties in contentionem de eà descenderant, suos Aemulos. Quicquid ab eo gestum susceptumve est, eà prudentiâ & successu, vt nihil vellet, quod non posset, vt vbique posset, quantum voluisset. Mare tantum iniquum habuit. Regnum Sueciæ, cum alterius curâ attineretur, ipsi per Patrum adeptum est, quo inter initia improspere repetito, diuersis & sæpius lentis consilijs, incertum postea reliquit, vindictam spemq; eius distulerit an omiserit. Certè initia plurimam vim in sequentia habēt, in quib. rapienda sæpius sunt consilia non quærenda,

De eligendo Rege Polonie

renda, à longinquò, vt plerumq; serò, ita frustra consulitur, effluitq; rei gerendæ occasio, nec moram negotia admittunt. Multi moderatum, & sanguinis ciuium pareum cognoscētes, bonitati id adscripsēre. Nam sicut durum esset, qui se tutores dicerent, damno pupilli litigare, vter ad tutelam ius habeat: ita minimè laudandi sunt ij, qui iacturâ & sanguine innocentis populi disceptant, quis illius populi rem sit curaturus. An eò quoq; conctationem perduxerat, potuisse non minùs aduersarij vitijs, quàm vi & armis, regnum recuperari. Nam Carolus, post ademptum imperium truculentior in subditos, & hoc magis eos metuēs, quòd ab ipsis timeretur, tanquam in defeētores, & proximo ad Sigismundum regressu, intoleranda seuitiâ ardescebat. quòd alter declinans aut tolerans, extorquere ciuibz poenitentiâ sperauit neq; minùs meruit, mitis naturâ, & in fontes ac Caroli intimos adeò clemēs, vt captos in bello, incolumes omnes dimitteret. In Prussia, aliud deinde & par vulnus sub ipso acceptum est.

est. Sed proditiōe perfidiâq; incolarum, hosti
omnia patefaciente, non remedio, non vindi-
ctæ potuit esse locus. Tam subito scelus perpe-
tratum est, vt & deliberationi & festinationi
eriperetur spatium. Mora pariter & quicquid
nimis properum erant pro hoste. Indignari hîc
magis & fateri liceat, non aliud Prussiam per-
didisse, quàm quòd de publico, nisi in discrimi-
ne non cogitamus, contemnendoque sæpius
quàm cauendo pericula, ad negligentiam dela-
bimur, ex quâ, vt nescia timendi, ita metuendis
proxima succrescit nobis securitas, quâ sæpe
haud minus feroces in hostem, quàm virtute
aliquâ sumus. Ipsi etiam nonnullis rebus præ-
sidemus, pleraque regimus, iniquissimâ tamen
ratione, prospera sibi quisq; nostrum vendicat,
aduersa cum contigerunt, vni imputamus.
Quâquam nemo hunc vltimum casum putet,
cum sciamus, euentus omnium præliorum, in-
ter initia contra illos magis fuisse, quibus vi-
ctoria debebatur. Mirum verò fortassis etiam
fuerit, si quid in tot annis fortuna apud nos va-

De eligendo Rege Polonia

riauerit? aut quod ei, sub id tempus, Europam
vniuersam magnis cladibus luctuq; pererranti,
non vt alia imperia regnaq; euerfa vel afflicta,
fed paucis tantum vicis oppidisq; in Prussia nos
redemimus? Plurimum quoq; refert, in quaẽ tẽ-
pora cuiusq; calamitas incidit, quid Germania,
Dania, Bohemia, Vngaria, Italia pertulit, vt
tam paruo cum fortuna decidisse, summum
virtutis tantum nostræ opus fuerit. Profectò
nemo tantâ gloriâ victus est, etiam nemo non
maiori periculo nos vicit. Sigismundus certẽ,
quem sicut nulla antea prosperitas, ad impoten-
tiam aut vindictam iniuriarum suarum impel-
lere potuit, ita hætenus temeritate intactum
nomen, à violentiâ & incertis casuum conser-
uare, prudentiâ, satis habuit; multis experimẽ-
tis interritus & edoctus, neutiquã statim eum
plus posse, qui plus audet, & frangi attollive
semper successum à causâ. Itaque bellorum
non tam exitu cum vinceret, quàm principijs,
quod non sine causa ipsa susciperet gaudebat.
Ita illa inchoabat, vt adesset causæ æquitas, ita
gere-

Diuinitio.

gerebat, vt Deus æquitati. Regnum, non minùs
beatum, quod ius fasq; pro finibus suis haberet,
quàm quod fines suos, gladio & hãstã termina-
ret putabat. Idem quoque erat in acie & castris
tenor. militem non temerè periculis objicere,
cuius sibi sciret, virtute magis opus esse quàm
sanguine. fœdera, pactiones, conuenta cùm o-
mnibus rata & sancta habere. bellum ad pacem,
tanquam ad proprium finem ducere. nihil ap-
petere ob iactationem, nihil ob formidinẽ re-
cusare. cuiq; rei consilium prudenter, exitum
fœliciter prouidere. Et sustinuit his artibus e-
gregiè fortunam regni, quantùm ipsi per ciues
licuit, quos sæpe & inter se componere, & vt
idem cum Rectore velint nolintque inducere,
maximus in repub. labor est, assuetis potius, vi-
tiji libertatis moueri quàm curã, eòq; neglige-
re, etiam quæ nocent. Neq; enim hîc, vt in cæ-
teris gentibus, Reges liberi impedimentis om-
nibus, & domini rerum tēporumque, trahunt
suis consilijs omnia, sed magis sequuntur. A-
derant præterea non pauciora in pace. Impe-
randi

De eligendo Rege Polonie.

randi ratio lenis & conueniens libertati, in quā tantundem periculi est, cum exequitur Rex omnia & nihil. Deliberandi consuetudo, quæ prudentiores exerceret, neq; dissentientes submoueret. Moderatio animi & clementia, quāuis & ad irascendum causæ fuissent, & ad vlciscendum potestas. Fortunæ æquanimitas, nec iniuriā damnoq; in repetendo proprio regno; nec in tot studijs obsequijsque, in occupando alieno metuenda. Iam integritatem, abstinentiam, temperantiam, benignitatē, innocentiam, pietatem, religionem in eo referre, iniuria conscientię publicæ fuerit. Si quid est relictum nobis, quo incolumes, florentes, ac beati diu sumus, si quid ex nostris temporibus, ad posteros & futura tempora transmissuri, firmum, æternum, mansurum in animis hominum, æternitate famæ habemus, eius ductu, auspicijs, felicitate consecuti sumus; qui nos omnes, rempublicam nostram, regnum hoc, Patriam, libertatem, & quæcunq; in terris carissima sunt, foris & domi, bello & pace, rebus gestis, meritis, virtu-

virtutibus suis obstrinxit non oppressit. Nunc
 eorum, quicumq; pro successione, aut in impe-
 rio magnam gloriam, aut vbi illud adepti fue-
 rint, magnam spem nobis ostendunt, reputatio
 facienda est. Fama quæ neminem sine æmulo
 finit, neque semper errat, aliquando etiam eli-
 git, sicut pleraq; antecedere, ita alterum cum
 altero conferre solita, duos præ cæteris desi-
 gnat, ADOLPHVM GVSTAVVM, & SIGISMVN-
 DVM VLADISLAVM. Alterum alteri, vigore æ-
 tatis, decorâ iuuetâ, animi magnitudine, pror-
 sus parem, vtrumque haud multum triginta
 annos egressum, inter se egregijs artibus, indu-
 striâ, comitate, facilitate haud diuersos, bello-
 rum periculorumque, alterum quod sub pa-
 tre, & aliena hæctenus potestate vixisset, magis
 non expertem, alterum, quod suæ spontis fuisset,
 proque arbitrio res gessisset direxissetque,
 magis ipsis periclitatum, magnum præliatorẽ,
 gētium quas adiisset victorem, ambos, rerum
 magnarum studijs, gloriæ cupidine, præclaris
 & multis animi dotibus, quantum ipsis impe-
 rare,

De eligendo Rege Polonia

rare quandoque, non semper indulgere liceat, aut sibi pares, aut certè similes. Nam Gustauus, vnus haud dubiè nostrâ tempestate militiâ clarus, quam ab omnibus laudem habere meruit, eâ, iudicio prudentum, dum nimiam abundantiâ non còercuit, quasi à seipso recessit. Vigil, circumspectus, alboris, inedia patiens, firmus aduersus pericula, per omnia extra dilationes positus, consultis facta coniungens, captandæ alliciendæq; multitudinis artifex, callidus, ad simulanda negotia animi magnitudine incredibili, consilijs, manu, dux, miles, laborum appetens, omnium in castris fatigator, ipse indefessus, atque nullius non alterius ad imperatū parcior quàm sui. Quæ nimia, & in ijs, neque à seipso sibi, neq; ab hoste, hostive còcessa quies, animum viri, per se ingentem, ad quoscunque casus asperarunt, duxeruntque, quòd de vtraq; credi vix potuit, vt eò perueniret aliqua sedulitas vel fortuna. Verùm dum neq; in gloriâ, neque in felicitate concupiscenda, aut modum

nouit,

nouit, aut ponit terminum, longius rebus secundis euocatum, quam anteire properauit, sua postea spes illum clausit & prosperitas. Vt non facile discernas, viri fortitudinem, adeo longe lateque per Germaniam, prementē Got-
torum Vandalorumq; vestigia, in vetustis seculis, an in nostris temporibus reposueris: quibus Fridericus, propè parem fortunam assecutus fuit, nulla suā fortitudine, subditorum tantum in Ferdinandum odio ac perfidiā prouectus. Voluisses profectò, aut sine aliorum inuitamentis, proprio ipsum conatu ista gessisse, aut suam industriā aliò transtulisse, quam quocunque transtulit, quod voluit effecit. Ingens fortuna, & in quā prosperior semper fuit illi temeritas quàm quies, fecit, vt inter tam magna, & fidem hominum excedentia, cupiditatem quoque nostri aliter atque olim armis belloque experiretur & resumeret. Missa cum aperta affectatione in Comitia legatio, redditæ sparsæq; per regnum, cum ingentibus promissis literæ, Vngariam, Bohemiam, continuam

De eligendo Rege Poloniae

nobis Silesiam Moraviamque, quantum terrarum introrsus Pontum mareque; Balthicum patrescit, tutum ipsum mare, & negotiationibus peruium, pacem à Moschis, Tartaris, & transiturum nunc ad modestiam, aliquando ad obsequium Turcam promittebant, pluraque; alia, magnum cumulum ad prospera, aut subsidium ad laborantia. Neque vacatio & Interregnum expectatum, dum animo cupienti nihil satis festinatur, viuentem quoque Sigismundo, sufficere ista videbantur, & nomen Gustavi fama que, & nihil arduum satis. Ad hæc, res petitionis similitudine velata, metu potentius impellebatur, literis de rebus suis & victorijs iactantius, de Ferdinandi humiliter & in deterius compositis. Quanquam enim inusitata atque insolita, plerumque amat spargiturque; rumor, inueniunturque; qui plus alijs persuadere solent quam ipsi credunt, tamen ex tam distantibus spatijs terrarum, quicquid de eo afferebatur, prudentes quoque permouebat, & audito, quam longè processerat, puduit in reliquis dissentire, plusque; iam sibi quam

quàm famæ credere. Cæterum, seu fortunâ suâ, seu bello ipsum illigari tenerique, pars nostræ quoque fortunæ pacisque tunc fuit: cum multi, metu aut admiratione, circa successus eius distracti, & vtrorumque modum non habentes, eadem cæteris inspirarent. Vt quisque procax linguâ, aut affectui proprio obnoxius, minùs comperta, tantò magis pro veris, apud imperitos spargebat credebatque. Sed omnia diligentius perpendendo, sicut in alijs virtutibus, Gustauo suas haud abnuerim reddere laudes, ita quo minùs in Regem acceptũ esse cupiam, par est aliquas reddere causas. Nihil in his habuerit, Liuioniæ Prussicęque calamitas, fusus ibi toties sanguis, antiquissimis delubris templisq; iniectæ flammæ manusque, compulse in naues, ditissimarum Prouinciarũ opes prædæque, atque aliò auectæ, tentata publicè in comitijs ciuium fides, capitali tantum literarum, impunitâ qui eas attulit audaciâ, sollicitati contra nos Moschi, Scythæ, Cosaci, dissiati, vicini, ciues, amici, hostes. Ista similiaque, vbicunque

De eligendo Rege Poloniae

& bella fuere, nusquam melius querelis, atque factis vindicata. siquidem inter priuatos & æquales ius fasq; discernit, vbi manu res agitur, propior noxæ est, qui alteri non nocet, & modestia cæteræque virtutes, nomina superioris sunt, quin sæpe in ignauiam socordiamq; vertuntur, assuetis etiam subditis, reliquas in Regibus virtutes, post fortitudinem habere, eosq; promptius amare, qui timeri quoque mereantur. Sanè veniam habuerit, hosti quasi prædæ cessisse, ei que sponte se dedidisse, cum quo pugnando fessi sumus, dum id dedecus, maioribus commodis & meliorum interuentu pensetur. Que verò ex ijs expectemus? Pacemne & quietem? quam vt à nostris hostibus obtineamus, Rege suis rursus causis bella ex bellis cienti, atque in acie occupato aut laboranti, detrectare fortasse pericula, nouosque rursus hostes possemus? Consultum iri ærario & collationibus, quæ vix domesticis necessitatibus pares, ad externas cum Rege sustinendas, quomodo cõereri aut sufficere possent? Nisi istarum rerum metum,

Diuinitio.

nietum, res prosperæ & tot eius victoriæ nobis adimunt, quas ego, nisi cōpositas quàm primum dimissasque, tolerabili conditione audiero, ne vana atque acerba multis, earum lætitia euadat, timere non desinam. Quota enim pars aduersus Cæsarem, tot concitata in se cum regibus regna, tot domos fundatas longis imperijs sunt Sueci, cæteriꝫ haud pridem rebus secundis Gustavo coniuncti? quod illis bellandi ius? quæ causa? nisi vt tot mortalium capita seque aduersis Dijs obijciant, nulla boni spe. Tempore tantum ad hoc credendum opus est, vt neq; nihil spatij famæ dedisse, neq; fortunæ nimis constantiæ statim concessisse videamur, quæ plerumque nunquam sincerior apparet, quàm in fine. Iam verò, ex destinato etiam rebus illi fluentibus, vt ista liceret effugere, nullane tunc cum maximè impotens & ferox cōsuevit esse fortuna, nobis mala essent extimescenda? ne sui eum caperet obliuio? ne spes aut cupiditas ad illicita impelleret, post tot successus peruicax & intenta? ne felicitas efficeret dislo-

De eligendo Rege Poloniae.

dissolutum aut fortuna superbum? Quàm diu
verò post adeptum imperium, illi ea constaret
modestia, vt ex præscripto legum omnia admi-
nistraret? obseruaret, quantum vnicuique, quā-
tū sibi iura permitterent? nullum bellum pa-
cemq; inconsultis omnibus ordinibus iniret?
expectaret quid de ijs quæ suscipere vellet, vni-
uersis nobis placeret? quid Senatus censeret?
quid nobilium ordo iuberet? Næ ille, breui
istorum pertæsus, ad datura sibi citius suffra-
gium & fiduciam arma recurreret, homo mi-
litaris, quales plerumque, quantiscunq; homi-
num obsequijs, non se abundè putant excoli,
nisi videant simul & timeri, nec quod cogere
se posse putant, rogare diu sustinent. Equidem
ista, nequaquam vni tantum imputata, in quo-
cunq; Principe, quem nondum experti sumus,
pertimuerimus, sed vt in Gustavo tantò magis
vereamur, illud admonet, quòd prius in nos
strinxit ferrum, quàm pro regno emisit vocē,
quòd impatiens moræ, cupiditati nullam non
clam palamque adhibuit festinationem, quòd
post

Diuinatio.

post illa quæ inter arma minatus fuit, quoniam
vi res, vt voluit, non processit, misit etiam ad
nos, velut regnum petiturus. Minori adhuc
solicitudine teneremur, si nulla præcessisset
formido, si non viderentur studia metu com-
parata, nunc id timendum esset, ne nos subie-
ctos haberet, tanquam victos, ne viles, tanquã
alienos. Ad hanc vsque diem, cum nullo sce-
tro in vnum coijmus, ipsi semper nobis, rebus
gestis, famã, gloriãque suffecimus, viribus no-
stris stetimus, tantò tunc magis respiciendum
esset, ne regno, à quo, ipsa rerum natura, mari,
legibus, moribus, linguã nos distinxit, addititij
esse videamur, nec tam ipsi Regi, quàm genti
etiam cuius est ipse Dominus, seruire. Quid de-
inde? si nimia quoque pietas, atque res Numi-
num, quorũ causã nunc, indicta est ab eo Ger-
maniae calamitas, aut sicut ipse præsefert, Sa-
crum & Protectitium bellum, curam quoque
eius, in nos verteret? Cæteris incommodis,
vtcunque adhuc mederi, atq; obuiam ire for-
tassis possemus, praua religio in Principe, quã-
D cunque

De eligendo Rege Polonie

cumque ratione dissimulata, nullam nostram
rationem, aduersus pernitiem reciperet, quin
ad eam, funditus statim cum republicâ pertra-
heremur. Satis exemplorum ab alijs regnis
sumpserimus, tantoq; plus etiam metus, quan-
tò in primordijs suis beatiora, postquam adole-
uere, florentissima demum, hâc peste corrue-
runt. Terræ olim omnes, quas etiam Turcæ
possident, vnâ religione tenebantur, Anglia,
Dania, Suecia, acerrimę nunc nostrorum sacro-
rum hostes, in ijs celebres viros, sanctosq; orbi
ex se edidere, nulla inter nos dissensio, nulla di-
scordia fuit, sanctitate quin etiam & pulchra
Christianorum appellatione, quâ in Regibus,
quâ in Regnis vsurpatâ, inuicem emulabamur.
Scilicet rudibus tunc & sanctis animis, contē-
tis magis cupientibusque, vt salui fierent, quam
vt circa salutem seirent, quæ Deus voluit ne-
sciri, virtutes tantum & benefacta, satis ad id
videbantur, vitia sola & delicta, non magistros
dogmatum cauebant, de quo disputare nescie-
bant, in eo errare se, nisi constanter crederent,
puta-

Diuinatio.

putabant. Quantulum deinde fuit, quod orbem in se & discordias egit? quàm primo intuitu, in leui, & velut videretur in equo habendum? nempe scrutandi ea, quæ ad cuiusque salutem pertinerent, licentia & cura. Næ tamen istud, nō paruo aut minimè noxium, tot imperijs stetit. Haud multò post, ciues cum ciuibus commisit, nonnullos, inter se discordijs defesos, Turcis in manus tradidit, rebellionem in suos dominos arripuit, tot scelera, tot facinora edocuit, ausum etiam in atrociam & inexplicabilia bella, aduersus Hispanū tot annis, haud pridem aduersus Ferdinandum consurgere, ad quorum exitum, penè totus orbis, arrectus nūc intentusque est. Omnia ista, sicut pleraq; mala exempla, ex bonis initijs processere. Nam inutili sapientiâ labefactatum vulgus, primum quâ in re quantumve obstringeretur, quid in re diuina exequi, aut omittere posset quærere, mox diffundente se lasciuiâ, & alijs post alia exolescentibus, obniti vetustis & receptis, prensare aut sibi cudere noua & insueta, seueriora in-

De eligendo Rege Polonia.

stituta & patrios ritus ponere, cæremonias pariter cum bonis moribus abolere, denique vt nil de superis certum, ita nil quoque apud se aliosue, sacrum sanctumq; habere. Pudet referre, tot vrbium inde exorta inter se diuortia, natas, tanquam nouum populum, patriamque facerent, singulares in regnis respublicas, exorta ab inuitis Principibus priuilegia, libertates, immunitates, fædera, tum infinitam varietatem & multitudinem sectarum, prout fecundus fit extra veritatem error, quot humanum genus flagitijs, tot prope nouitatibus, hæresibusq; laborantem, nec aliâ re magis, quam inter se discordijs, tædijs, fastidijs, aut cum patescit occasio, consentiente in nos odio notabilem. Enimuero, vtcunque infectum iam eâ contagione regnum quoque nostrum sit, tamẽ sic existimo, fatum excidij, non ante ipsi aduenturum, quam priscæ religionis Reges eligendi finis nobis fuerit. Nam si diuturnitatis quodlibet imperium, causas in se habet, hâc compage tot seculis regnum nostrum stetit, cui

Diuinatio.

cui in summa libertate, vnum tantum deerat, pereundi licentia. Si religionem prodiderimus, contextus hic in partes dissiliet, atque in ruinam & confusionem, nos regnumque nostrum trahet. Tot, ne imperia collaberentur, aduersus eam pestem remedia quæsitæ sunt, tot leges inuentæ, ad arma quoque, itum est, ut cuncta percurramus, nulla potentior ad eam compescendam, quam Principis religio fuit. Duris & asperis neque arceri neque corrigi potuit, maius etiam periculum, quocunque se tollere volentibus fecit, ad exemplum pænas semper dedit, & quiescentibus supplicijs minisq; , modestiam aut emendationem, ex vitâ Principis recepit. Quanquam enim vtrumque, in parem, excelsa fortuna, coniungit reverentiam, neque in necessitate parendi, maius à nobis accipere debet discrimen, Principis imperium quam exemplum, huic tamen, quadam velut obstricti lenitate, promptius obsequimur, & vtrumque, gnari humanis subuenire erroribus, deficiente ratione, exemplo credimus, eamque religionem

D 3

De eligendo Rege Poloniae

ligionem preponimus, quam, qui Dei apud nos obtinet locum, Princeps seruat sibi. Sed de Gustavo, ad necessitatem satis dictum puto, in quo iudicia hominum, quanquam tot non inuenerunt merita, quot ex secundarum rerum fauore fecerunt, tamen facile apparet, in candidatorum numero, potuisse eum haberi primum, nisi religionis id abnueret diuersitas, in eaque, par conditio metusque, ex prauis & laudatis. Ad Vladislaum, plurima nos sunt hortantia, & potiores causae: in quibus, cum Dijs immortalibus gratiae habendae sunt, quod alienigenam ad regnum assumendi, desinat nobis necessitas, tum virtuti eius gratulandum, cui ex deliberatione nostrâ, ea adhuc accedit gloria, ut successurum, nihil magis deceat, quam etiam eligi. Maiores nostri viri sapientissimi, tamen si summâ prudentiâ, & non nisi per necessitatem ab exteris gentibus Reges petiuere, tamen ob hanc rem, raro non aliquam pœnam pœnitentiamve persensere. Sanè Henrici fugam, potius in despectu & contumelia, quam discrimine

Diuinatio.

mine numerauerimus, Battorio electo, Maximilianus Imperator, vi à nobis suffragia extorquere cogitauit, nisi precibus & æquitate mitigatus magis, quam per reuerentiam timoremve postea cessisset. Sigismundo, ab Archiduce Austriæ Maximiliano, aduersa acies structa est, & admoto Cracouiam exercitu, ferro ignique noua prensatio in nos se effudit. A Succis, non longinquitas nobis, non mare profuit, secuti cum bello suū Regem in Liuoniam Prussiamque sunt, ortæque inter duo regna inimicitiae, diutius nobis manserunt quàm inimici. Etenim cum rarò aliqua nouitas, sine periculo in rempublicam venit, tum præcipuè illa, cui ex se ipsa fortuna, plurimas præstat discordiarum causas, in quâ excusandum odium, suspicienda cupiditas, scelus innocens est, pro regno certare, & iunctas etiam fraterna charitate mentes, in hostiles affectus concursusque diducere. Nunquam profectò tam periculosè Rex succedere potuit quàm eligi. Neq, enim nostrum id tantum exemplū est, Reges eligere, egregios quosque

De eligendo Rege Poloniae

que pro sceptro deposcere, idem inter initia & ab alijs gentibus factitatum fuit, quæ nunc v-
surpamus, plurium olim populorum & vetu-
stissima fuerunt. Postquam in multitudine fa-
ctiones capere, opprimi à potentioribus humi-
liores, accendi ad dominationem, per ciuium
discordias, inertissimi, cum pessimis, cum ho-
stibus Reipub. contrahi, dissensionibus, simul-
tibus, arrogantia, inuidia, vindicta omnia e-
uerti, pertæsi homines malorum, vni deinde se
familia in hæreditatem tradidère, satius rati,
ex ea bonos Principes, voto tantum expetere,
qualescunque tolerare, quàm morte iuxta vi-
taque regum, pericula sua instaurare. Neque
reperio, quod maius aduersus ipsam fortunam,
consensus hic hominum, inuenire potuit re-
medium. Manent tot sæculis in Gallia, Ger-
mania, Anglia, intra certas familias conclusa
sceptra, neque per alias gentes stirpesve vaga,
aut virtute, aut fortuna, ad hunc diem, quibus-
cunque regnis concedunt. Est quidem, præ
ceteris gentibus, amplum istud nobis & magni-
ficum,

ficum, non nisi suffragijs, quos volumus, Reges
facere, sed non ideo à maioribus constitutum,
vt crebris mutationibus nosmet destrueremus,
vt cuicunque alteri, facilior via ad imperium
quàm Regum filijs esset, vt Suecorum, Germa-
norum, aliarumve gentium desiderio, dome-
sticam virtutem postponendo, libertate nostrâ,
contra nos vteremur, sed vt aduersus insolentiam
regnantium, si aliquando opus esset, ha-
beret respublica remedium, vt patribus succes-
suri filij, respectu cōtinerentur electionis, quæ
posset, cuicunq; alteri impendi. Habet quodli-
bet suam causam institutum, & si in manifestis-
simis quoque virtutibus, non de merito quæri-
tur, sed magis de libertate, perit legis intentio,
& libertas est, quam tunc habere non licet.
Quanquam pessima esset conditio, si huic tan-
tùm de Regibus crederemus, cuius totum no-
bis tempus interea est, dum eligimus, postea no-
stra libertas, sæpe ipsorum cedit. Arctiori quâ-
dam lege, Principes in virtutibus tenentur, ne-
que vlla mortalium pars est, æquè ac Reges &
E
ex ijs

De eligendo Rege Poloniae

ex ijs nati, hac quoque parte, distincti ab alijs. Siue immensa illa & æterna mens, amplius sui boni, in proximos sibi transfundit, siue in pulcherrimò rerum, quem ipsa fecit concentu, hunc semper seruat ordinem, vt sicut natalib⁹, ita alter alterum etiam virtute præcedat. Tot gentes, imò totum propè, præter nos, genus humanum, hac fide cum Regibus suis agit, ita eos in regna accipit, vt nullo in ijs opus esse putet delectu, nullas necessarias quæ ipsis imponantur leges. Prout aliquem fors ipsa nascendi præposuit, credit statim se illi, & in locum commodum quæ expetere deberet, in virtute obligat ipsum, suâ tantum reuerentiâ & affectu. Nihil esset etiam electione crudelius, si Patribus, vt necesse est naturæ concedentibus, cum morte, tota eorum commutaretur, in filijs fortunæ conditio. Quam multa statim in lucem venientibus præstamus? Natales eorum triumphali propè celebramus lætitiâ, vota pro ijs publicè suscipimus soluimusque, latera ipsoꝝ circumfusi custodimus, periculis nos pro ijs obijcimus,

cimus, pari denique affectu, pari veneratione
ac patres prosequimur, tanquam oculis nostris,
plus etiam, quàm filij occurrerent. Ita inter ve-
nerantium gratulantiumq, officia & vota, coa-
lescit ipsorum infantia, pueritia confurgit, se-
quentes anni maturescunt, nec quidquam mi-
nùs Regibus, nisi quòd filij sunt, experiuntur.
Si hæc, non diu videnda, si cum morte patris
auferenda sunt, fortunæ fulgor, domus quoq;
familia, amici, credite, plus fuit in patris etiam
electione crudelitatis, quàm beneficij. Hoc na-
tura quoque comparatum est, tunc aliquid ap-
petere cum defuerit. Nobis quinque Princi-
pes sunt, stirps & soboles magnorum Regum,
traduces Iagelloniæ familiæ, vnius pars ani-
mæ, sanguine, concordia, virtutibus fratres,
inter nos geniti, rebus nostris & reipublicæ in-
nexi, cum principijs viuendi. Qui omnes quan-
quam ad summa pariaque nati, proprium ta-
men inter se discrimen nouerunt, moremque
Regum plenum sanctissimæ æquitatis obser-
uantes, maximo natu Vladislao in imperio

De eligendo Rege Polonie

concedunt. Quippe est Maiestas supra nos, quæ, vt cætera hominibus, ita pro seipsa in terris, sortem quibus videtur dispensat traditque. Hanc à tot sæculis custoditam, atque inter Reges & Principes continuam & immortalem, nec Sigismundum Patrem, peruertere in filijs voluisse vidimus. Qui cum finem vitæ sibi adesse cerneret, ijs ad suprema vocatis, inter circumstantium mærentiumque affectus, orbitatem iam ipse post se, & singulorum indolem recognoscens, dubitationem ac controuersiam, quam mouere potuissent, ipse decidit, & Vladislao, ius ad regnum Sueciæ, cum fratrum tutelâ tradidit. Magno profectò iudicio & documento. Nam à patre ipso monstrandus fuit, quem natalibus primis Dij ipsi dignum proximumque sibi, atque regno fecerunt; & in aliquem filiorum, reclinanda Sueciæ Maiestas, quâ dignus, ad consequendam alteram, apud nos haberetur. Videmus cælum etiam Deosque, hosiudicium & adoptionem, peculiari fauore approbare, nos omnes iam regnumque
senti-

Diuinatio.

sentire. Nihil vt non modò alijs Interregnis, sed viuente rege fuit, turbidum, nihil discors est. Mare, prouinciæ, nationes, hostes, amici, proxima, dislita, fixa, mouentia, adeò pari silentio, pari in pace sunt, ac si designatum aliquem haberent, quem metuerent, aut à quo regerentur. Vtinam, sicut altæ tranquillitatis omen, haud aspernendum à Dijs accepimus, ita ab ijs hoc ipsum in perpetuum sanctum & constitutum esset, ne vnquam in aliquo nobis desineret. Mallemus Rege frui felici quàm vti strenuo. Laus & voluptas ista, bellicosi & victoris, alios caperet, nobis Rex, sub quo florerent pacis bona, præfideret. Nam quæ in bellis præcipua habentur, ardor animi, contemptus periculorum, moriendi negligentia, sæpius naturæ virtutes sunt, pax & quies non nisi magna industria & optimis artibus sustinetur. Quamquam, ad rerum publicarum administrationem vniuersè respiciens, Regem eo ingenio præfero, in quo, temperatio quædam & velut varietas virtutum est, quàm in vnâ aliquâ excellentia &

De eligendo Rege Poloniae

tia & gloria. Quippe, cum multa debeantur regno, incolumitas ciuium, prouinciarum opulencia, religio, leges, armorum tractatio, pacis studium, tot tantaque, minimè ille præstare potest, quem, ad ynam tantum rem ducit, ingenij propensio. Neque enim temperatione illâ, intercidit aut deperit virtuti cuiquam efficacia, sed eo in complexu, inuicem magis se feruant, magis adiuuant, & quod in altera cessare videtur, altera alteri restituit: sicut in præcepta ab omnibus Vladislai pro regno designatione, difficile iam agnoscas, amore eius an metu, nolit amplius aut non audeat, quisquam hostem se profiteri. Irritamentum odiorum, & fax tumultuum bellorumque, quam diu vixit, Sigismundo vsurpatio Succiae fuit: Vladislao nimbus iste cessit, & ab omni parte, sua regno ferentitas venit. Meretur sane vtilitati populorum præponendus, cuius virtuti & fortunæ tutela ciuium, salus militum, fortuna omnium, reipublicæ gloria, comitti debet, aliquâ etiam, in futurorum fidem, felicitate, à Dijs monstrari,

Divinatio.

strari, hoc ista iam in Vladislao nobis certior
contigit, quòd ad eam, non opus sit, spe tan-
tum, sed moribus, non coniecturâ, sed meritis.
Nihil est in eo, quod per tot annos, melius pau-
cis aliquibus, quam nobis omnibus notum sit.
Indoles, vltro honesti instinctu, & virtutis a-
more, ad summa præuolans. Industria, ma-
ximis rebus à pueritiâ tradita assuetaque, nun-
quam otiosa, agenda promouens sine ostenta-
tione agendi. Animus ingens & potens sui,
gloriæ appetens, exploratæ firmitatis, interti-
tus, immobilis ad metum & pericula, perinde
liberalium studiorum ac famæ amator, doctos
virtuteque præstantes, & cognoscendi & de-
merendi cupidus. Iam, quæ creduntur vir-
tutes regnorum tutelares. Religio ex animo
piè semper, nunquam ex arte aut per ostenta-
tionem culta, quam Regibus tueri, quàm
profiteri, fuit laudabilius. Prudentia, neque
anxio iudicio rerum agendarum opportuni-
tati inutilis, neque celeritate temeritati obno-
xia. Iustitiâ, tam promptè alijs reddita, quam
diligen-

De eligendo Rege Poloniae.

diligenter in suis factis custodita. Tum virtutes aliæ, sinceritas atque candidus oris & animi consensus, dulcedo morum, in tanta fortuna vix imitabilis, in factis dictisque modestia, cum fratribus charitas, cum amicis benignitas, cum subiectis humanitas, cum omni genere hominum comitas. Quæ minime diuturna, & ad tempus sumpta credi possent, nisi iam in ista anni ius sibi fecissent, hocque, ut ex ijs, non aliud sperari possit, quam ut perseueret.

Quid verò fortitudinem memorem, quam in contubernium patris puer acceptus, ab ipsis exercuit traxitque vitæ principijs? Quot victorias habuimus, omnium fuit comes vel causa, quot bella gerenda illi commisimus, in omnibus tam spem nostram vicit, quam illa. Cuicumque hosti occurrit, cuicumque periculo se opposuit, felicitas, neque ipsi defuit, neque diu quicquam distulit. Patris in Moschovia comes, hoc maximum victorijs addidit, quod ad sceptrum & diadema, quod honestius moriendo alteri traditur, à gente barbarâ,

barâ, asperâ, immiti, damnis iniurijsque irrita-
tâ, vltro ambiretur. Paruâ manu, commif-
sus cum Turcarum exercitu, quantum nun-
quam memoriæ parentum celebrant, totum
breui, in fugam, prædam, victoriam dissoluit.
Czernichouiam & Seueriam, Moschorum Pro-
uincias, regno nostro addidit. Inter tubas,
galeas, enses militares, inter impetus hostiles,
& conflictus cruentissimos à puero nutritus &
versatus, id nobis præstitit, vt nec plus ab illo
sperari, neque felicius spei nostræ responderi
potuerit. Iam verò quot experimentis ani-
mum suum in Rempublicam contestatus est?
vt non aliud promittere nobis de ipso debeat-
mus, quàm talem semper fore, qualis hactenus
fuit, qualemque eum maximè velle, & optare
possimus. nihil illi fore republicâ charius, ni-
hil autoritate Senatus grauius, nihil bonorum
iudicio optatius, nihil verâ gloriâ amoreque
ciuium dulcius. Quapropter, quod in maxi-
marum rerum deliberationibus facere solè-

De eligendo Rege Polonie

mus, Deosque precari, vti numen suum & consilium aspirent, quodque decernimus vti nobis omnibus, regno, rei; publicæ bene & feliciter euenire velint, id in haud dubijs iam ipsorum pro Vladislao voluntatibus, Patris iudicio, ipsius virtutibus, meritis, in haud dubio quoque vestro studio, & velut regni totius sententiâ, conuerso votorum ordine faciendum arbitror, & plus sexagies, plus octuagies, plus milles, quam veteres suis Imperatoribus consueuerant apprecandum. V L A D I S L A E noster felix agas, feliciter imperes, Dij tibi dent ætatem, quam mereris, seruent animum quem dederunt. Optamus tam constans, tam perseverans mancas, quam semper felix, quam fortis, quam optimus fuisti. Prædem dignus, prædem regno natus, iudicijs de te id tantum consecuti sumus, quod debere tibi, reddereque non sufficimus. Nunquam in te Regum nostrorum exempla, nunquam gloria deficiat. Tu A V D A C E S, tu I V S T O S.

Diuinatio.

tu PROBOS, tu PVDICOS, MAGNOS,
AVGVSTOS nobis exhibere potes. Quod
tàm lætum, tàm constans, tàm faustum Rei-
publicæ precamur, quàm in ea, & tu &
nos omnes tecum pariter
sumus.

IN PROPOS, tu PVDICOS, MAGNOS,
 AVGVSTOS nobis exhibere potes. Quod
 tam laetum, tam constans, tam laetum Rei-
 publice precamur, quam in ea, & tu &
 nos omnes tecum pariter
 sumus.

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.